



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

re? Si ex abſtinentia ſaturâris, cur ex in-
gluſie mavis eſurire? Æquè inſanis,
cùm poſſit animus modico impleri, vota
extendis ad plurima, ſemper famelicus,
nunquam ſatiandus; Cupiditas ſphæram
ſuam in immenſum diffundit; at minùs
eſt ſapientis habere multùm, quàm nihil
deſiderare. Nolendo enim impletur vo-
luntas, & abſtinentia deſideriorum ſatu-
rat voluntatem. Age nunc! quid ex duo-
bus eligendum ſtatues? ex inopia ſacietate
tem, an ex copia eſuriem, indigentiam
dolorem?

10. Multùm ſe promovit, qui ſpem o-
mnem ac timorem exiit. Attigit enim
quietem animi, quò nullus eum fortuna
favor extuliſſet. Poſteſt quis ſui ipſius eſſe
benefactor maximus: nihil volendo, plùs
ſibi largitur, quàm alii dando orbem uni-
verſum. Non pauci mundi opes contem-
pſerunt; at nemo non zelat ſuper ama-
riſſima quiete nihil cupientis.

DECAS II.

11. Si ſtatuiſti, quæ te impetunt, ſuffer-
re, immenſo te moleſtiarum onere libe-
raſti. Expediſti enim te ab impatientia
quæ

quæ est filum mala omnia connectens, & janua, per quam tota infelicitatis moles animum subintrat. Impatientia nulli medetur malo, nullum extenuat, omne augmentat, & impinguat. Ægre toleras dolorem istum; igitur velles minorem? hoc ipso quòd nolis ferre, magnum facis; ferendo solùm minor redditur.

12. Nolendo sufferre, malum malo superaddis. Impatientia enim duplex malum generat: unum culpæ, quod ipsa est: alterum pænæ, quod doloris; adeoque novo onere gravat oneratum.

13. Dum malum perfers, vita iracundiam; dum operaris bonum, exhibe hilaritatem. Nihil est, quod animum ità delinuat, uti exercitium agendi bene: nihil quod ità exacerbet, uti impatientia tolerandi mala.

14. Fac mens tua passionibus vacet, & major eris Alexandro. Ille mancipium fuit sui, suæque cupiditatis; tu liber eris, tui omniumque Dominus. Tale Dominium quis non præ vilissimo illo mancipatu elegerit?

15. Libertas animæ eminent dominio U-

E;

niversi

niversi. At quomodo spiritus erit liber
vinciatur affectibus? Qui passionibus
obtemperat, mancipium est multorum
tyrannorum.

16. Subegisse inordinatos animi affectus
ingens est victoria: neque minor triumphandi ratio, si cupiditatem, quam
castrum munitissimum expugnâris.
trumque excedis, si, quod viceris, virtuti
debeas, non passioni. Sunt enim non
nulla vitia, quæ se invicem impellunt,
numque ab altero impugnatur; at qui
malum malo vicerit, non vincit, sed
ctus est.

17. Tametsi duo vitia se mutuò infestent
neutrum tamen hostem suum castrum
exuet, sed ligatum duntaxat tenet, & quæ
carceri mancipatum. Ast ubi occasio
luxerit, obices omnes perfringet, red
detque vicem peiori malitiâ.

18. Quemadmodum is parùm proficit
qui ramos decutit, arbore, quam excisat
vult, virori suo relictâ; ita dum vitii
dix integra perseverat, virtus secura non
redditur. Passio passione non tollitur, ne
que unum vitium altero solet expugnari.

19. Sunt

19. Sunt, qui à vitio abhorrent, non amore virtutis, sed affectu alterius vitii. Infelix odium, quo persequeris malum, nisi id facias ex amore boni. Malum odisse, ut alio malo fruaris, quæ virtus?

20. Potest non immeritò mirum videri, ea vitia, quæ sui similitudine proxima sunt virtuti, præ cæteris magis esse cavenda: eadem scilicet ratione, quâ fictus amicus plùs solet nocere, quam hostis apertus. Incidemus in pedicas fucatae virtutis, nisi visum acuerit passio suppressa.

DECAS III.

21. Ars Princeps vivendi est, scire amare bonum, atque illud cognoscere. Per geminos hos aditus dolor omnis animum subintrat; vel quia erramus amando, vel quia fallimur cognoscendo. Passio efficit, ut ambiamus malum, ignorantia nè dijudicemus bonum.

22. Vis securè progredi, ducem adhibeto veritatem, non opinionem. Apprehensio, & metus mala omnia effingunt, atque indè nundinantur sensum doloris gravissimum.